



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. Nomen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

conueniunt: nihilominus ab illis hi sibi cauent, quoniam vix se continent homines raptō viuere assueti, vbi aliquid prædæ in nauibus latere nouerunt.

N V M. 5. *Politia Moreæ.*

PRINCIPES Græci, seu Despotæ Moreæ, diu hîc rerum potiti sunt, qui Turcis in Europam irrupentibus Hexamilum excitauerunt rursus, atque muniuerunt, opus à Peloponnesiis excitatum tempore belli Persici vt præmonuimus. Hic murus ab Amurato II. disiectus est, regio latè, & fœdè vastata. Vindicarunt & hanc sibi Veneti anno Christi 1543. eumque murum excitarunt denuo, & duplici fossâ muniuerunt intra 15. dies, 30. hominum millibus diu noctûque laborantibus; sed quanto labore & industriâ munitio illa excitata fuerat, tam turpiter, & flagitiosè deserta fuit, atque per Mahumetum II. nullo negotio disturbata, quando Thomas Palæologus vltimus Moreæ Despota exautoratus Romam profugit. Saniacus Methonensis de *Modon* dicitur *Morabegi*, hoc est dominus Moreæ & mille equites educere solet: Nauplia tamen *Napli de Romanie*, penè videtur esse libera; ideòque crescit in dies, aliis deficientibus. Per Moream sparsi Albani, gens parum quieta, & neque iugum ferre potens, nec sat gnara excutere; ideòque conqueruntur indigenæ se Albanorum imprudentiâ sæpe Turcarum crudelitati expositos esse.

§. 5. *De Albania.*

N V M. 1. *Nomen Albania.*

ALBANIA semper Arbania apud Leunclauium dicitur; qui obseruat Albanos à Turcis appellari *Arnaut-laros*. Quidam volunt Albanorum nomen antiquum esse, siquidem Ptolemæus hîc urbem Albanopolim nominat: meliùs dicti sunt ab Albanis Asiaticis, qui expulsi per Tartaros eas sedes occupauere.

N V M. 2. *Quantitas Albania.*

Longitudo eius desumitur ab vrbe Dulcinio *Dulcigno*, & pertinet ad montes Albanos, seu quibus Albania dispescitur à Macedoniâ, & continet 120. mil. pas. leucas Franc. 60. Germanicas 30.

M m m iij